

mittentibus dicto Lancie pro parte dicti Galeaz magnam quantitatem florenorum videlicet, florenos sex millia auri, quibus omnibus ipse Lancea assensit, & promissit eisdem dictam prodicionem se toto posse, & ingenio protinus impleturam. Et quo facto sine verbis prædictis ipse Lancea à prædictis discessit, & iuit ad Ecclesiam maiorem Alexandriæ, in qua inuenit D. Robertum de Franzola, tunc Capitaneum Alexandriæ pro dicto D. Galeaz, cum quo similiter habuit colloquium de materia prodicionis præmissæ, & à quo D. Roberto recepit pro parte dicti D. Galeaz similes promissiones, & cui D. Roberto ipse Lancie spondit dictas prodiciones protinus adimplere, & pro ipsis adimplendis alios inducere; quos sibi videbitur melius expedire.

Item in eo, & super eo, quod dicto anno mccc lvi i i. de mense Iunij dictus Lancea Bombellus accessit ad locum Montis Castelli, districtus Alexandriæ, coheret flumen Tanagri, & fines, & Territoria, & fossata ipsius loci, in quo loco inuenit dictum Fratrem Simonem de Puteo, cum quo Fratre Simone ipse Lancie iuit ad quandam mansionem, quam ipse Frater Simon tenebat ultra Tanagrum non multum longinquam à dicto loco Montis Castri, in qua inuicē pranderunt. Sumpto autem prandio exiuerunt, & euntes inuicem super ripatu Tanagri, dictus Lancea perseverans in malignitatibus, & prodicionibus supradictis, easque prodiciones, & malignitates cupiens totaliter adimplere. Iterato de eorum materia colloquium habuit cum eodem Fratre Simone, scrutabanturque ad inuicem qualiter, & quomodo dictam prodicionem effectui mandarent. Et dederunt ordinem inter eos, quo ad hoc, ut cum aliquibus de maioribus hominibus, & potentioribus Valentia loqui possent de prodicione prædicta, quidam filius Georgij Bombelli nepos dicti Lancie reciperetur in Fratrem dicti Ordinis per Fratrem Simonem supradictum. Et in die receptionis ipsius Fratris, multi de hominibus Valentia inuitarentur ad prandium ipso die fiendum. Et inter alios Perrucius Aribaudus.

Item in eo, & super eo, quod dicto anno mccc lvi i i. de mense Augusti dictus Lancea procurans, & intendens totis intentionibus dictam prodicionem effectui mandare. Existens in dicta Terra Valentia, cui coherent muri ipsius Terræ Valentia circumquaq; misit Aymericum Talonum de Valentia ad dictum Fratrem Simonem, & ei dicendum, quo die volebat recipere in Fratrem Ordinis sui prædictum eius nepotem, qui Frater Simon sibi respondit, quod ipsum volebat accipere die Dominica tunc sequenti, & quod diceret dicto Lanceæ, quod ipsa die Dominica secum duceret omnes quos posset de melioribus Valentia, & præsertim Perrucium Aribaudum, & quod nullo modo veniret sine ipso Perrucio, qui Aymericus reuersus fuit Valentiam, & hoc retulit Lancie supradicto.

Item in eo, & super eo, quod dicto anno mccc lvi i i. de mense Augusti prædicto, Gulielminus Stortiglione missus per dictum Fratrem Simonem de Puteo, ad dictum Perrucium Aribaudum, dixit eidem Perrucio in clauistro Fratrum Minorum de Valentia, cui clauistro coheret Ecclesia ipsorum Fratrum, & Capitulum, & Refractorium ipsorum Fratrum, siue Conuentus Fratrum Minorum